



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Christina Virg. Mart. 24. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

360 VITÆ SANCTORVM. 24. Iulii
cantem è cælo manum commodare VIRGO pa-
rienti non dubitarit. Ipsa Matris officio tum se
functam putavit, cum D E O prolem transcrip-
set. Filium certè, cui lacrimis cælum emollie-
rat, ipse D E V S filium lacrimarum vocavit.
Jam quoties illam loqui homini contigit gra-
viori labe asperso, oberrare ipsam naribus Mephiti-
tim credidit. adeò malè olentes animas scelera-
ti trahitis! A morte conjugis novas religiosè vi-
vendi leges viris virginibusque scripsit, quas ipse
Legislator C H R I S T V S illi dictavit, cui etiam
præsenti, anno suprà M. C C C. L X X I I I.
animam reddidit. Mortem illius orbis ideo mi-
nus tunc ægrè tulit, quòd vivere etiam mortuam
in filiâ Catharinâ crederet. Ex Surio.

*Quæ anima semel didicit Dei præsentiam suspira-
re, & querere faciem ejus semper, nescio an vel ipsam
gehennam experiri ad tempus horribilis ducat, quam
post hujus studii gustatam suavitatem exire denuo ad
illecebras, vel potius molestias carnis. S.Bern.serm.15.
in Cant.*

S. CHRISTINA VIRG. MART.

24. Iulii.

DIcite, quotquot Musas colitis, quid virgine
felicius, si Doctorem habere Angelum mere-
tur? Certè virgo CHRISTINA habuit, & Christianæ
doctrinæ rudimenta cùm edisceret, ab ore An-
geli pependit. Nempe sic ipsis Diis quoque (quos
argenteos aureosque parens habebat) rectè uti
didicit, quando fractos in frusta pauperibus iussit
cedere, docuitque hos ipsos rectè denique morta-
libus propitos esse: jam parentis furorem ut for-
titer excepit? Alapæ, vincula, unci, rotæ, flammæ
velicæ

velitationis speciem præbuere. Et in hâc ipsâ cùm truncas corporis partes in vultum (hostis dicam an parentis?) projiceret, an non invito extorquere verecundiam potuit? Angeli deinde manu persuata an non iterum provocare hostem? Sed totâ ecce acie mors occurrerit: in lacum Vulsinum præcepis agitur, molari collo appenso. Vincit videlicet mari etiam virtus, & gaudet CHRISTINA à Christo toto lacu nunc baptizari, quæ omni sanguine nuper. Quid quòd incolumis enat, parens morte infelici stygiis undis mergitur? Quid ages, qui in officio pariter & odiis succidis Dion? quid Julianæ? oleum iterum ardens affundis? cum operâ perdis, picem ingeris? Christo adhæret, fornacem paras? iterum cantus inter flamas audis. serpentes cogis? jam stygios vicit. Uberta resecas? non eget his virgo. Sagittis denique petis? pennas addis in cælum volanti. Si nescis, illa tibi, illi meta cælum est. Ex Mart. Rom. Adone & Petr. de Natal.

Elige illum amicum præ omnibus amicis tuis, qui, cùm omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit in die sepulturæ tuae: cùm omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet, sed tuebitur à rugientibus præparatis ad escam. S. Aug. Man. c. 24.

S. CHRISTINA MIRABILIS.

24. Iulii.

Rectè Orbis CHRISTINAM mirabilem dicit, quando talis etiam est vita ejus. Tu quoque mecum mirare. In Hasbaniâ & nata & denata postquam oculis purgantium animarum in piacularibus flammis tormenta arbitrata est, patulum cælum habuit, nunquam excludenda, si semel modò ingredi libuisset. Sed commiseratio, quam in

ani-

